

RECENS HABITAE 29

Omnes vt in descriptione ; Ioui proxima exigua fa-

Ori. * * *  Occ.

tis distabat ab eo *min. 1. sec. 20.* media vero ab hac *min. 4.* eratque satis magna; orientalis admodum exigua ab hac distabat *min. 0. sec. 20.* anceps eram nunquid Ioui proxima vna tantum, an duæ forent Stellulæ: videbatur enim interdum huic aliam adesse versus ortum mirum in modum exigua, & ab illa seiuncta per *min. 0. sec. 10.* tantum: fuerunt omnes in eadem recta linea secundum Zodiaci ductum extensæ. Hora vero tertia Stella Ioui proxima illum fere tangebatur, distabat enim ab eo *min. 0. sec. 10.* tantum: reliquæ vero a Ioue, remotiores factæ fuerunt: aberant enim media a Ioue *min. 6.* Tandem hora 4. quæ prius Ioui proxima erat, cum eo iuncta non cernebatur amplius.

Die 9. hora 0. *min. 30.* adstabant Ioui Stellæ duæ orientales, & vna occidentalis in tali dispositio-

Ori. * *  * Occ.

ne. Orientalior, quæ satis exigua erat, a sequenti distabat *min. 4.* media maior a Ioue aberat *min. 7.* Iupiter ab occidentali, quæ parua erat, distabat *min. 4.*

Die 10. hora 1. *min. 30.* Stellulæ binæ admodum exiguæ orientales ambæ in tali dispositione visæ

Ori.

* 

sunt, remotior distabat a Ioue *min. 10.* vicinior vero *min. 0. sec. 20.* erantque in eadem recta. Hora autem quarta, Stella Ioui proxima amplius non apparebat, altera quoque adeo imminuta videbatur, vt vix cerni possit, licet aer præclarus esset